

FK 102  
14

II n  
7964

MEMORIAM

VIRI SVMME REVERENDI

IOANNIS DAVIDIS  
HEILMANNI

S. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS  
PVBLICI ORDINARIII

QVI D. XXII. FEBRVARII VIVERE DESIIT

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

RVDOLPHVS AVGVSTINVS  
VOGEL D.

CVM SENATV

CIVIBVS ET POSTERIS COMMENDAT.

---

GOTTINGAE

EX OFFICINA SCHVLTZIANA, curante F. A. ROSENVSCHI

1764.





**L**egemus ereptum rebus humanis HEILMANNVM, Ciuēs, & quae cum eo erepta nobis solatia sint, quae bona intercepta, non sine acerbo animi sensu ac dolore recordamur; neque modo earum rerum, quarum fructus perceperat Academia nostra vberimos, graui tenemur desiderio; quo doloris genere totus interdum in aliorum obitu lactus expletur, qui, quum ad prouectiorem aetatem peruenerunt, quae quidem ab iis in rem publicam et in amicos utilitates proficisci poterant, eas persoluerunt, animi vero corporisque viribus ita exhausti fractique sunt, ut iam vix sibi, multo minus aliis, viuere posse videantur: ut adeo omnis animi nostri in tali lactu aegritudo & aerumna ad ea sese referat, quorum fructus iamiam tulimus; ad gratam beneficiorum acceptorum memoriam, virtutum & laudum iucundam commemorationem & ad earum rerum desiderium, quae, cum ad id fastigium adductae sint, vltra quod procedere aut euolare rebus humanis datum non est, mox subsidunt, iterumque ad eam tenuitatem & obscuritatem, e qua ortae sunt, reuoluuntur; verum cum HEILMANNO nostro non modo maximas utilitates interceptas, summorum bonorum fructus nobis ereptos, sed spem etiam plurium & maiorum beneficiorum incitiam querimus, non doctrinae modo copiam iam presentem & numeratam, sed ostensam etiam illam & quasi perscriptam, desideramus; quumque ingenii sollertissimi & cultissimi tot & tam egregia specimina cum admiratione intueamur, subeunt animum & illa, eaque multo etiam maiora, praeclarae indolis doctrinaeque documenta, quae ingenii ista vis, & tam acre assiduumque studium pollicebatur. Itaque & quae habuimus, desideramus, & quae non habuimus. Eos enim iam ingressus erat annos vir doctissimus, in quibus, mitelcentibus iam ad maturitatem ingenii fructibus, comparatas e variis disciplinis ac litteris doctrinae opes in seuerioris alicuius disciplinae studio collocamus; & quamquam ille eos ipsos annos multo ante iam anteuererat, & maturae absolutaeque doctrinae tam praeclara argumenta ediderat, ut vnum ad haec aut aetatem, quam vixerat, aestimare aut annos annumerare liceret! ea tamen parauerat & inchoauerat, animoque informauerat, vnde, si iustum tempus contigisset, magnae ad litteras siue diuinas siue humanas utilitates prouenturae fuissent. Qua quidem in re diuinae prouidentiae consilia quis non videat omnes nostrae sapientiae rationes euertere & iudicia confundere? quum enim praeclara illa ingenia non nisi raro ac passim siue excitentur siue enutriantur; quum paucioribus praestantium horum hominum difficultates, quibus obsessos se vident, eluctari & emergere contingat; vbi maximis tandem exhaustis molestiis & aerumnis, vnus & alter secundo cursu in ea loca & tempora delatus est, ut non implicitus negotiis ciuilibus aut curis oppressus aniuus a litterarum studiis

suocetur, sed cultus ingenii perfici, doctrinaque satis elaborari possit; rebus sic egregie instructis paratisque, ecce multo grauiore fraude repente desitutos nos & elusos sentimus: quod tot casus effugerat, morte rapitur, & omnes istae molitiones ac difficultates, iactationes illae inter spem metumque, hoc vnum fructus habent, vt tanto grauius nobis optimarum rerum desiderium incutiatur. Quamobrem quis non tutius nos in mediocritate rerum communi acquiescere magnamque eam ad animorum solatium vim habere putet, in qua vti neque tantam iacturam facimus, ita, etiam si grauiore casu affligamur, semper tamen tum praesidia, quibus sustineamur, tum solatia, quibus recreemur; praesto sunt; neque desunt, qui in partes succedant eademque non minore cum laude praesent. Adeo veri non nihil inest in eo, quod tantopere iactabant veteres tragici & philolophorum nonnulli, qui non minus tragoedias interdum agere solent, inuiderè numen ei, quod in rebus humanis summum est. Quae nos quidem quanto melius ac tutius ad aeternae illius & sapientissimae Mentis consilia referimus, de quibus diiudicandi arbitrium si sumere nobis velimus, nae facere idem videamur, quod, qui aquae guttam cum gustarit, oceani profundum exhaurire se putet. Neque tamen aut nobis ipsis a diuina Prouidentia malum tantum esse insititum, cui non medelam ad maiorem vtilitatem facientem ipsa praeviderit, aut ei, qui post tantas vigilias & labores, ante perceptos iustos fructus, rebus humanis ereptus est, omnia earum rerum praemia interisse existimabimus. Consilia nostra ac voluntates, non modo facta, a summo arbitro exigii, & quae recte intenderis, non minus, quam quae recte perfeceris, ei probari credamus. Quemadmodum vero haud dubiis argumentis colligi potest, animi recti & bonarum rerum studio incensi habitus rectos in vita futura tanto maiorem exquisitae felicitatis gradum esse allaturos, quanto illi magis explorati maximis periculis confirmatae fuerint; quum futurarum rerum tam coniuncta cum his nostris ratio sit, quis neget eas ipsas ingenii vires insigniter excultas & exercitatas, quanquam iis in rebus, quae ad istam vitam pertinere non possunt, ad amplificandos tamen futurae felicitatis fructus eorumque sensum acuendum magnam vim esse habituras?

Quod itaque modestam sapientiam & sensus humiles eorum, qui Christi disciplinam profitentur, decet, hoc agamus, vt omne de acerba & luctuosa HEILMANNI morte iudicium & arbitrium optimo & sapientissimo Numini permittamus, quod vero in manu nostra positum, & ad officii pietatem pertinet, magnae etiam iucunditatis fructum habere solent, hoc faciamus & memoriam viri, dum vivebat, grauissimi & sanctissimi ita recolamus, vt, quo eum virtutis & pietatis sensu acerrimo persulsum fuisse videbimus, eundem illum sensum, exemplo tali incensi, in animis nostris excitemus & inflammemus.

Natus igitur HEILMANNVS Osnaburgi, quam quidem urbem sibi nutricem contigisse, in magna felicitatis parte ponebat, a. d. XIII. Ianuarii MDCCXXVII. patre *Dauide*, matre *Anna Elisabetha* e gente *Dropia*, quae in iis terris satis frequens & numerosa est. Quod si ad id nomen, quod consequutus est, natalium splendori parum debuisset videri potest, at fortunae indulgentiam magnam expertus est in eo, quod honesto loco & iis parentibus natus erat, qui & ab extrema egestate, qua humanis ingeniis omnia cultus instrumenta & auxilia subducuntur, & ab ea fortuna pariter remoti essent, in qua magna quidem ad liberaliorem institutionem copiae adeste, haud paullo tamen maiores corruptelae illecebrae & ad deprauationem incitamenta animos adolescentum quamuis rectos & ingenuos corrumpere solent. Parens inter eos adscriptus erat,

qui vrbis decutiones quotannis legunt, homo pro illa fortuna liberaliter institutus, quique cum veri rectique sensum haberet, quem in parentibus summo loco natis non raro desideres; vt liberorum nutritionem & educationem rem sic satis grauem dignamque existimaret, cui aliquam curam ac sumtus nonnullos impenderet; non enim attenuari puerorum patrimonium, quantacunque eius pars ad liberalem doctrinam expendatur; esse vero eius fructus tanto certiores & ampliores, viderique vnumquemque tanto honestiorem & lautiorem hereditatem assequutum esse, quanto magis cultum & expositum ingenium, quo melioribus formatum praeceptis & imbutum pectus, e domo paterna secum attulerit. Litteraturam itaque edoctus, sexennis non modo in gymnasium patriae vrbis deductus, sed etiam datus est a patre custos aliquis ac comes, qui domestica studia regeret; quae institutionis puerilis ratio haud dubie cum minimis malis vrgetur, tum illius publicae & huius priuatae disciplinae bonis cumulata est. Nam, quum ex nostrarum rerum publicarum institutis ac moribus multa exorta sint, quibus educationis in scholis publicae fructus aut intercipi aut corrumpi solent; priuata autem doctrina, si, spreta ista, magistrum puero adhibeas, in publicum quidem perniciofa, ad priuatum tamen cuiusque sortem fructuosa & vtilis esse possit, dum modo, quod tamen in tam tenuibus praemiis, in rudi & rerum inexpectata ista aetate, inter illa consilia, quibus adducti hoc munus suscipiant, optari quidem, sperari vix potest, modo tamen probum, doctum & grauem hominem nactus fueris; at illa ratio, vt puerum & ad publicas scholas deducas, & qui pro custode & amico ac familiari sit, adhibeas, haud dubie & minimum periculi, & fructus habet plurimum. Iam quibus litteris tenellus nostri *HEILMANNI* animus ante annum XVII. imbutus fuerit, quum in ea commentatione, quae, ex more, adiuncta est disputationi, ad obtinendos summos in Theologia honores perscriptae, satis copiose, & cum magna praecceptorum laude, nec sine acuta diiudicatione, quid cuique in quocunque genere potissimum debuerit, ab ipso enarratum sit; quumque copiosior harum rerum narratio, quantumuis notis & familiaribus ad animum grata & ad memoriam iucunda; in amici enim desiderio nihil non graue & memoratu dignum; a talis tamen scriptiois consilio aliena videri possit; rerum enim summa tantum argumenta ac momenta carpenda sunt, quae cum quodam ad quoscunque lectores fructu coniuncta esse possint; satis itaque fuerit, monuisse, multa eum cum laude praedicare fuisse solitum *Io. Henrici & Io. Bernardi Oledendorpiorum*, fratrum, qui nunc in coetibus Brinkumensi & Bassumensi, in agro Bremensi, sacra administrant, fidem & industriam; *Io. Ant. Biermanni*, qui nunc Lintrupensium, in Osnabrugensi ditione, religionibus praefest, tunc septimae classis praecrat, sollertiam & dexteritatem in excitandis puerorum ingeniis fouendisque igniculis; *G. R. Fortlage* cum seueriore ingenio coniunctam pietatem summam, & in impertienda graecarum litterarum facultate poeticesque latinae gustu industriam; *Ge. Leop. Ponati*, a quo latini sermonis paulo vberiore & intelligentiam & vsum accepisse se memorabat, hilare & festiuum ingenium osque ad incedenda puerorum ingenia egregie disertum; *Godofredi tandem Schwarzii*, viri summe venerabilis, nunc in academia Rinteliensium Theologiae Professoris celeberrimi, tunc Gymnasio Osnabrugensium regendo admoti, summam fidem ac pietatem incredibilem amoremque erga se plane paternum multis laudibus eferebat, a quo, ad legendos cum fructu veteres & ad studia philosophica rite instituenda se adductum fuisse, memorare solebat.

Dices-

Discessit itaque e schola talis, quales multos ex academiis decedere quam vellemus! humanitatis litteris pro ea actate egregie instructus, hoc est, omni ea doctrina eoque cultu imbutus, quo ingenium non modo ad humanitatem emolliitur & ad leniorem mitioremque affectum temperatur, ad viuendum vero acremque omnis honestatis pulchritudinisque sensum acuitur, verum etiam multarum & variarum ex omni memoria omnique disciplina rerum copia animus instruitur & quodam tanquam lumine illustratur, quo infinitarum rerum in ipso vitae usu causas, nexus ac fines facile perspicere possit; quo nisi variae doctrinae flumine irrigatum perfusumque pectus attuleris, nae academicum curriculum aut nullo, aut vix vilo cum fructu ingrediare. Lectis itaque veteribus optimis quibusque scriptoribus, hoc est, vitae ac sapientiae magistris, omnium & disciplinarum & historiarum aliquem tanquam gustum habebat, (lubenter enim in his aliquantum moramur, vt, quibus litteris doctrina, quam mox in eo mirati sumus, superstructa fuerit, appareat.) hebraicas litteras & ipsas attigerat, matheleos & philosophiae iusta tirocinia posuerat, non, quod perueria laepe ratione in scholis fit, castrensia stipendia in umbra fecerat; quae res eam fere calamitatem habet, vt ad veteranae alicuius doctrinae praemia & gloriam non facile peruenias. Ad poetice aliquanto procliuiorem se fuisse testabatur, vt tamen impetu aliquo rapi non videretur; cui alioqui paullo difficilius resistisset; quod tamen studium, cum nemo liberaliter nutritus eius plane rudis esse, nemo tamen facile, nisi diuina aura afflatus ingenium habeat, totum ei se addicere debeat, optimo consilio abiectisse videtur.

Annum itaque decimum nonum agens, seculi huius is erat XLVI, *Halam* profectus, philosophiae primum studia tali duce prosecutus est, quem sibi contigisse doctissimus quisque philolophus optet, *Ge. Frid. Meiero*, vt tamen *Io. Gsttl. Krugerum*, mox *Helmstadium* euocatum, physica enarrantem audiret; theologiam vero disciplinam immortalis nominis viris, *Sigism. Tac. Baumgartio* & *Chr. Bened. Michaelae* magistris perdidicit, vt hunc quidem in antiqui orientis linguis, interque eas arabica, illum in singulis theologicae encyclopaediae partibus magistrum adhereret, *Baumgartium* autem non modo studiorum sed & omnium consiliorum auctorem haberet, ad cuius rationem & disciplinam totum se componeret doctrinaeque summam ab eo deriuaret. Quem enim a laudato modo *Schwarzio*, Viro venerabili, sibi diligenter commendatum *Baumgartius* benigne & comiter admiserat, vti in hoc Viro plurimae, quae in eo erant, litterae miti & facili, quod a natura acceperat; ingenio nihil detriuerant, humanitatis & beneuolentiae addiderant plurimum; eundem ille, quum eximum plane in adolescente ingenium, magnamque discendi ardorem perspexisset, mox ita dilexit & adamauit, vt in domo sua coenaculum daret, consuetudine eum sua & familiaritate impertiret, mensae adhiberet, bibliothecae mox suae praeficeret opulentissimae, in societatem edendorum nonnullorum librorum admitteret, eiusque opera inprimis in *Commentariis bibliothecae Baumgartianae* conscribendis, & in partibus nonnullis *historiae vniuersae*, communi nonnullorum *Britannorum* studio confectae, *Niceronianorumque Commentariorum* in vernaculum sermonem conuertendis vteretur. Atque ea haud dubie praecipua illa *aeque* & opportunitas a diuino numine protulsa fuit; iuuat enim in viris claris & doctis ea potissimum rerum ac temporum momenta cognoscere ac notare, quibus, ad speciem interdum leuissimis, impulsu curriculum illud, quo tanta praemia mox tulerunt, ingressi, & eo progressi sunt, quo eos peruenisse admiramur; ea, inquam, *Baumgartiani* contubernii fuit opportunitas, qua ad copiosorem aliquam & exquisitio-

B rem

rem doctrinam inprimisque disciplinarum variarum & doctrinarum historiam illam & litterariam cognitionem (*ιστοριαν literarum doctrinarum*) easque omnino litteras adduceretur, quibus illustratum nisi ingenium ad ipsum disciplinarum aditum afferas, aut ad infinitarum rerum discendarum copiam plane caecutiendum &, quae ipse non videas, neque ab aliis cerni audacter negandum, aut victis praefringente luce nimia oculis conueniendum caligandumque sit. Immenſa enim, ad quancunque tandem doctrinam & artem acceſſeris, cognoscendarum rerum turba sese offert, cui & forte peſtus opponendum est, & patefacienda via per ingruentes vndique errorum opinionumque importunos tumultus, quos non facile penetrare, rectum curſum tenere & ad tutam illam veritatis arcem pervenire poſſis, niſi, Mercurii more, *virga leuem coeſceas aurea vmbra- rum turbam*. Quamobrem iis fere litteris deſtitutum & vacuum animum qui ad aliquam disciplinam appellant, aut ad primos ſtatim scopulos adhaereſcunt, &, dum altum tenere se putant, naufragio eiiciuntur, aut litus radunt, conchasque & vmbilicos legentes exultant, & opes Indicas auehere se putant, aut, ſi in litus eſcendunt, in ſaltus & anfractus viarum incidunt, aut per prata & amoena loca vagantes, dum flores & corollas legunt, totis meſſibus & videmiis onerati diſcedere ſibi videntur. Quae de re, liceat enim rem & ad reminiscendum iucundiſſimam & ad ſubtile *Heilmanni* ingenium dignoſcendum praecelaram hic repetere, acute & eleganter eum diſputantem aliquando audiuiſſus, cum diceret: eſſe hoc inter vitae humanae miſerias, quod naturae noſtrae dignitatem tamen & ſplendorem ſummum conciliare videatur, in immenſa ſcilicet ſpatia protractam & nullo ſine circumſcriptam omnem doctrinam; nunc litteras mole ſua laborare; &, quod multo grauius malum, cenſeri fere homines doctos & ſapientes ex omnibus potius aliis rebus, quam iis, quibus vera ſcientia & doctrina vnicui continetur; vt iis, qui nihil aliud, quam vere ſapere didicerit, ſi quis nobis daretur, verendum foret, ne is omnium indoctiſſimus vulgo haberetur omnibusque doctrinae praemiis indignus iudicaretur. Quam itaque ea, qua cenſemur, doctrina non ex noſtri ingenii animique venis elicit, ſed ab aliis deriuata & ex infinitis variarum opinionum tanquam materiis conflata ſit, e quibus vt ſecernas exploresque quid ſit probum, diuina plane ingenii vi opus ſit, omnium propterea ſeculorum & populorum hiſtoriam accurate cognoscendam ac ſapentiſſimorum ab omni memoria hominum ſcripta & monumenta aſſidue tractanda atque inde lumine aliquo animum eſſe illuſtrandum, vt cum ad disciplinam aliquam accedas, tanquam facem ac lucem aliquam iam in peſtore tuo afferas, qua luſtrare ſingula & vera a falſis diſcernere poſſis; aut enim per proprios cuique errores, aut non niſi inſpectis propius aliorum erroribus, ad veritatem iter patere. Haec ille, vir longe ſagaciſſimus, qui ipſe ad ſtudia theologica variae doctrinae non faciem ſed, ſi audacius dicere licet, incendium atuliſſe videri poterat; ingniam inprimis antiquarum orientis litterarum ſcientiam ſibi comparauerat, in quibus litteris per hoc adeo tempus, quo inter nos vixit, totus habitare viſus eſt. Verum nondum ad haec tempora memoratu iucundiſſima peruenimus.

In domo itaque ac bibliotheca Baumgartiana primum *HEILMANNO* omnis doctrinae, inprimis theologicae, fines metiri eiusque campos immenſos proſpicere, quibus porro praediis *immenſum hoc aequor ſpatis conſpicere & optatam metam attingere* mature poſſis, intelligere contigit. Habebat praeterea in Baumgartio, quo ſive auctore & hortatore, ſive ſponſore ad copioſam doctrinam excitari poſſet. Cuius viri ſi quis annos numeret, laboresque paulo accuratius animo recenſeat, nae ſi quis  
ſine

sine aliqua commotiuncula aut suam desidiā accusare aut eius ingenium  
 sumum & acerrimum studium satis mirari potest. Scilicet ipso vlu vi-  
 ta producitur; & nullus quaculus lucrosior & vberior quam temporis; in-  
 primis tamen ex ipso otio, si nihil non vtiliter colloces, ingens foetus; Ab  
 eodem tamen laudatissimo viro contraxit hoc quicquid est morbi, prae-  
 clarum quidem illum & multorum atletico corporis habitu praeslantio-  
 rem, sed morbum tamen, vt litterarum studiis nimis assidue & nulla virium  
 ratione habita incumberet. Et tantum tamen bonae corporis habitudini  
 fere decedere, quantum bonae animi valetudini accedere, videas. Atque  
 hic ille earum rerum contentus, ad quarum curam aliorum ingenia per  
 totam vitam depressa sunt, istam arcessiuit cachexiam, qua abreptum  
 eum tam acerbo funere exulimus.

Nunciato patris indulgentissimi obitu & suscepto *Hala Osnabrugum*,  
 in patriam urbem, itinere, cum animus graui vulnere afflictus solatium  
 aliquod paulo potentius desideraret, litterae ab amplissimo Senatu *Ha-*  
*melienfi* ad eum afferuntur, quibus Recltoris in litterario eius vrbis ludo  
 munus ipsi desertur. Paret & prouidentiae nutui, & suorum voluntati,  
 amicorum consiliis, *Schwarzii* auctoritati, idque munus suscipit. Re-  
 uersus *Halam*, valis collectis, & dilceptatione de *Sanctorum apud Ponti-*  
*ficios consecratione ad veterum Romanorum apothecis in effica*, publice,  
*Baumgartio* moderatore, habita, anno LIV. mensē Aprili exeunte, *Ha-*  
*meliam* proficiscitur. Qua in vrbe quum & summo ad iuuentutem eum  
 fructu & cum magna vitae iucunditate & tranquillitate muneris numeros  
 expleret, egregiaque in eum amplissimorum decurionum voluntas ac  
 beneuolentia esset, ab Illustrissimo vero Regis Britanniarum Consilio  
 Sanctiore, altero mox anno, Directoris etiam elogio esset coonestatus,  
 biennio tamen ea in vrbe vix exacto, cum mensē Martio a. LVI. ad  
 gymnasii *Osnabrugensis* regendi curam vocaretur, vt *Strodtmanno*, viro  
 multis litteraturae monumentis claro, succederet, amicorum consiliis  
 adductus, mensē Augusto in urbem patriam concessit. Ex a. d. XII.  
 Octobris, munus auspiciatus est; in quo cum curarum fructus vberissimi,  
 & principum ea in vrbe virorum summa beneuolentia, quicquid acrum-  
 nae isti muneri adesset, temperaret, ipsaque vrbis natura & natale solum  
 magna iucunditate animum teneret, anno tamen sequente etiam a patriis  
 focus abductus est. Quum enim *Baumgartius* acerbissima morte a. d.  
 IV. Iul. LVII. ereptus fuisset, delatus mox ad *HELLMANNVM* est eius  
 inter Professores Theologiae in Academia *Fridericiana* locus splendidissi-  
 mus. Et habebat sane haec conditio, quo eius animus impelli posset;  
 quid enim eo ipso de se iudicio aut honorificentis & ornatus arbitrari po-  
 terat, aut iucundius & cum pietate in *Baumgartii* memoriam coniunctus,  
 quam vt in eius locum succederet, cui ipse olim e familiarissimis fuerat,  
 nomen eius tueretur, eandem cathedram ornaret, & quae ab eo inchoa-  
 ta & tantum affecta relicta essent, perficeret. Quum tamen id negotium,  
 casu an grauibus de causis, protraheretur, immortalis ille ingeniorum  
 spectator & explorator, Illustrissimus *MVNCHHVSIVS*, quum res non  
 ferenda videretur, vt eum, quem aliae terrae sibi expeterent suumque  
 facere vellent, populares non suum esse mallent, similem isti *Halenfi*  
 provinciam & locum in Theologico Academiae nostrae Ordine *HELL-*  
*MANNNO* obtulit. Eodem tempore etiam alma *Iulia* ad publici doctoris  
 munus eum euocauerat.

Antequam vero ad urbem nostram accederet, cum omnia, quae ad  
 obeundum cum laude & fructu munus facere possent, secum afferret,  
 praeter bonam ac satis firmatam corporis valetudinem, quam iam tum  
 valde labefactam satis ipse sentiebat, eius confirmandae causa aquas  
 Pyr-

Pymontinas adiit. In itinere quum Rintelii *Schwarzium*, s. v. virum, quem patris loco colebat, & cuius consiliis, in omni paullo grauiore negotio, quod incideret, vtebatur, salutasset, tum eius suasu hortatuque, tum loci opportunitate, permotus, summos in Theologicis honores in ea academia capessuit. Idem *Schwarzius* brabeuta. Habita publice *finiendae iustae & rectae sacramenti notioni* disputatio in a. d. XXVI. Iulii LVIII.

Muneris tandem in nostra academia auspiciis, prolusione de *discrimine notitiae ac scientiae, quae in theologo sit, ab ea, quam a Christiano homine expectes*, & Oratione de *commodis ex sacrarum litterarum studio ad philosophiam redundantibus*, a. d. XVIII. Octobr. feliciter tactis, ab eo inde tempore lectiones theologicas, dogmaticas inprimis & hermeneuticas, assidue habuit. Magna eius laudabatur in iis fides, doctrina & subtilitas, quae, quanta fuerint, vel ex ea Prolusione iudicari potest, qua anno LIX. lectiones suas indixerat, de *sensu morali*. Quod magni ad omnem morum doctrinam momenti placitum, quod Shaftesburiensis partim Comes Platonis illis libellis, qui ipsas Veneres & Gratas inspirant, eumque, quo ipse diuinitus afflatus videri poterat, pulchritudinis amorem inspirant legentibus, commendauit & ornavit, partim Hutchesonius, sobrius ac seuerus philosophus, magna cum modestia & grauitate adstruxit, quum nisi ad animos generotos vix vllam vim habere possit; non modo ille hac scriptione demonstrauit, nobilioris alicuius sensus non exerspectus se habere, sed etiam magno cum acumine, quid veri ei doctrinae inest, quid incerti aut alieni admixtum, perspexit. Et quanquam, si ad elementa sua & principia res in ethicis deducenda est, nihil fere dici possit, quod non suis difficultatibus prematur, effecisse tamen haud dubie videri potest hoc, *Φιλοκαλος* illos philosophos impetu se suo abripi passos nonnunquam esse.

Quum itaque omni humanitate perpolitum ingenium in diuiniorem doctrinam inferret, ad interpretationem inprimis & criticism sacrorum librorum vigilias suas contulit, tam acri & peruciaci studio, vt, dum vix adhuc intra limina receptus videri posset, ad intima iam penetralia sese insinuasset. Omnium autem maxime orientis vniuersi, & arabicis inprimis litteris, animus addixerat, comparata etiam librorum Arabico, Persico & Syriaco sermone scriptorum non contemnenda copia; *Chrestomathiam* quoque *Arabicam* cum glossario adornauerat, quae tantum non absoluta & prelo parata videri potest. Quas ipsas litteras quum accuratissima & criticis rationibus innixa graecarum litterarum scientia, cuius egregia exempla in Thucydide in sermonem patrium conuertendo Herodoteaeque epicrisi ediderat, tanto fructuosiores & locupletiores reddidisset, a tali, & tam copiose instructo ingenio praeclara quaeuis ac summa ad sacrorum librorum enarrationem sperari poterant. Sed non concessus nobis tantarum copiarum fructus. Pristinam corporis valetudinem & infirmitatem auxit studii intemperantia, & debilitatum corpus tandem eo adduxit, vt & medicus, ad quem confugerat, ne male operam poneret, iam tum vereretur. Scilicet, vt bona valetudo redderetur, faciendum illud erat, quod Polemo Sophista, cum articulorum morbo excruciatius, de salute desperans, viuum se sepulcro inclusisset, amicis a consilio auocantibus respondisse fertur; aliud corpus reddendum erat, in quod commigraret\*. Sed morbi genus ac vis quum ab ipso medico, RICHTERO nostro, viro non magis doctrina & sapientia quam ingenii venustate summaque humanitate Illustri, cum accurate ac diserte tum elegantissime descripta sit, eius verbis haec eadem enarrabimus:

Morbi

\* Philostr. de Vit. Sophist. 25. §. II. *δότε μοι σώμην καὶ μετεμβροσμαι.*



dat. „Morbi inuitus remiulcor, qui in HELMANNO ingenis academiae nostrae decus prostravit. Perdidimus in vigore aetatis & iusta eximiorum operum expectatione Virum, in quo solidae doctrinae sine iactantia ubertatem & indefatigabile de aliis bene merendum studium, omnis vanitatis, quae aliorum conatibus maculas adspexit, expertus suspeximus. Vereor, ne schola Baumgartiana, ex qua ille exiit, & quae ad magistri sui exemplum tam praecleara ingenia finxit, in alendo studiorum fervore rationem valetudinis nimis parvam habuerit. Non hoc inertioribus ingentis, quae plus, quam satis est, sciunt, moderata durare, sed alacrioribus dictum velim, latere sub studiorum illecebris, si quis nimis iis indulget, quod ante tempus perimit. Attulit Noster ex illis locis, vnde venit, insignem, quam diuinis & humanis scientiis accendit, lucem, atque, quae hanc obfuscat, crebram adstrictae valetudinis nebulam, honestissimis molimini-bus, vt diuturnae non sint, aduersam. Enutrita in venis labe est, quae ad pulmonem congesta vim suam sensim altius laxiori paullo & teneriori corporis fabricae impressit. Vnde crebra tussis nec infrequens haemoptoe iam ante suum ad nos accessum coegit optimum virum, consulere medicos, qui primum progressum serpentis mali, vt serpit lepte & clanculum, vili sunt non sine successu cohibuisse. Quis vero successus appellari potest, qui nouas per breuia interualla medentem operas exigit? Diu inter nos commoratus non est, quin de statu valetudinis suae & sensu recrudescens passim mali me edoceret & consuleret. Tentata sunt quaedam, sibi quibus filere tantisper morbus vitus est & detrita paulatim vlcuscula pulmonum non improbabilis fide coaluisse. Consulens quoque fuit amicissimus quondam collega I. G. ROEDERER, archiater regius, cuius non diu post in itineris sui apparatu defuncti salubrius consilium quam exemplum fuit. Subsequente aestate, cum Noster & sero lactis & herbis balsamicis ac paullo post Selterana aqua cum lacte aliisque ex meo consilio vteretur, hisque refoueri & fere conualescere videretur, spem certe tueri nostram eo magis licuit, quod nihil vitii ex adfectis locis in venas relorptum interiorum humorum contaminaret laticem & nutritionis coctionumque vires corrumpere, nec febrem hecticam, vt fieri in progressu solet, accenderet. Fuit ad tempus par obeundis muneribus suis, obiit autem religiosissime, & peragens cum successu aliis negotiis, quae expectari a sano solent, licet sputa non penitus cum omni tussi cessarent, hinc nec plenam, pacata omnia in pectore esse, fidem facerent, nec haemorrhoides, quarum aliquo olim beneficio resectus fuerat, stabili lege reuocari possent; quod ipsum docuit, partes, quae noxam trahunt, iam nimis fuisse ad illam recipendam perditoto tono dispositas, quam vt aliqua in remotioribus locis reuullionis spes iustum locum reperiret. Sub autumno, semper in his corporibus magis metuendo, cum & aer inclementior esset, nec operae illae remitterent, quae vitam & intensam in docendo vocem requirunt, imo nec illae, quae legendo scribendoque sub fixiori corporis situ pectus coarctant, quod monita in illam rem adsiduo & ad maiora attento animo non semper tempestiue satis obseruentur, sputa corruptae notae tam effusa prodierunt, vt quidquid etiam prohi ehyli ad loca laesa rueret, similem mox stasi corruptelam subiret, eiectumque defraudaret sensim corpus nutrimento suo & necessaria virium refectione; vnde postremis diebus hectica illa febris inualuit cum nocturnis sudoribus & tabe corporis. Maxime patuit crescentis vlceris magnitudo ex crescente inter omnes illas a tussi deiectiones suffocationis periculo. In quibus angustiis respirationis parua vi opus fuit, quae debilem vitae motum opprimeret. Nos merito colimus laudatissimi viri memoriam, qui exemplum nobis fuit & probitatis & solidae doctrinae, in quod tanquam

speculum saepius intueri fas est. Poterat in articulo mortis, etiam sub grauiori anhelitu, nisi vox defecisset, iustius quam olim *Augustus* exclamare: plaudite, acta scena est.,

Quum itaque pia anima a. d. XXII. Februar. ex tam infirmo fessoque corpore euolasset, tertio abhinc die pompa Iolenni matutina exuiuae in templo academico depositae terraeque creditae sunt. Nos autem, cum fructus eius praesentis ac uiuentis nobis vltior concessus non sit, qui tamen ex recolenda eius memoria virtutibusque commemorandis peti potest, eum nostrum faciamus.

De doctrina quidem, quae in HELMANNO erat, aut multa praedicare aut iudicium ferre, & molestum & post tam praeclara eius exempli odiosum foret. Habebat tamen doctrinae inprimis accuratam aliquam rationem & subtilem, reconditarumque litterarum copiam, magnum ingenii sagacissimi acumen, iudicium tersum & acre. Itaque in vulgaribus opinionibus ac doctrinis teneri eius animus non poterat nisi excussis & exploratis. Animaduersum scilicet & perspectum habebat hoc: nullam esse doctrinam, quam nos vere nostram & propriam dicere possimus, & quae non potius aliena aut certe communis habenda sit, quae non, seu iuncta aliquamdiu omni auctoritate & opinione, ab ipsis rerum naturis & rationibus petita, argumentis suis & demonstrationibus, sed nudis iis, omnique opinionis pigmento absterfo, instructa atque ita comparata sit, vt tibi eam quasi primus parasse, nouam extulisse, & elaborasse videri possis. Itaque & in ipsa tradendarum rerum ratione & ordine subtilius aliquantum veriabatur, dum notiones & propositiones vulgares iterum dissolueret, componeret, nouaque inter se ratione compararet, atque ita lucem interdum aliquam abstrusorem extunderet, quae alioquin aeternum obstrueta latuisset. Qua ratione & via si incedas, mirumne videri debeat, si, quae humani ingenii infirmitas est, per tam immentum iter, inter tot salebras & anfractus, semel vno pede titubes ac labes? aut si in iis ipsis, in quibus vulgarem rectamque rationem sequutus fueris, abhorreere tamen ab iis videre, qui bonorum obtreccatione, quam sua virtute inclarescere malunt? Sed ad animi eius indolem iam dudum properamus, de qua haud paullo iucundior, forte etiam vtilior ac grauior narratio, vt in quouis homine, ita in eo inprimis institui potest, a quo egregiae alicuius virtutis exempla petas. Ex hac enim vice verae cuiusque laudis materia petenda esse mihi videtur, vt summam quamlibet eruditionem cum nulla, non otiosa, & siue in ciues tuos siue in necessarios & amicos vtili & virtute comparandam esse putem.

Conspicua itaque in eo erat insignis aliqua modestia, probitas & candor, qui tamen cum summa prudentia coniunctus esset. Circumspectum, non tectum, diceres, vt tamen facile appareret, pectore nil clauium habere, quod sibi ipsi tegeter seque celaret. Ab omni vanitate & molesta aliorum auribus iactantia alienissimus, vt virum agnosceres non doctum modo sed & sapientem ac grauem; nunquam se efferre, nunquam alios deprimere visus est. Non modo aliorum laudibus obtreccari, aut gloriae excellentis doctrinae viri maculam adspergi, sed & maculam leuiter adspersam cupide noua luce collustrari aegre ferebat. Omnibus & aequalibus & minoribus aequae facilis, amabilis & gratus, in neminem alper & acerbus nec quenquam in se exasperans; sibi vni ita vacans, curisque ac studiis honestis intentus, vt ad faciendas iniurias ne otium quidem suppeteret, ipse nullis, quas ferre posset, pateret. In sermone grauis & parcus, nec, nisi quaestione docta & vtili posita, tacundus. Professionem purioris & sanctioris doctrinae sanctitate vitae testari malebat, quam verborum siue vanitate siue contumelia. Sacrarum litterarum studia ad do-

Tri-

Arinae ingeniique copiam non ita reuocabat, vt nihil ad animum mo-  
resque referret. Senium vt omnino omnis pulchritudinis & praeslantiae,  
ita praeclarae alicuius virtutis laudisque acutum habebat & acrem; in  
ipla itaque honesti conscientia, nec famae & existimationis negligens, neque  
collegerum & amicorum de se iudicii & voluntatis incuriosus. In ad-  
struenda libraria suppellectili sumtus faciebat paullo liberaliores; ad eam  
augendam ornandamque toto animo ferebatur. Neque tamen animum  
beneuolum, benignum alienisque miseris & calamitatibus patentem in  
se desiderari passus est. Orphanotrophii in vrbe nostra tenues res, dici  
non potest, quanto studio ac cura sustentauerit & auxerit. Commenda-  
uit hoc liberalitatis genus, disciplinae Christianae praeslantia tantopere di-  
gnum, nunc, cum pleraque in vobis & sermones abiere, tantum non  
exoletum, programmata seu libello, in quo de educatione & institutio-  
ne puerorum, imprimis humili loco natorum, plura sapienter & subtiliter  
dicta complexus est, quam verbosis nonnullorum ea de re voluminibus  
comprehendi videas. Studium suum utilitatis publicae amplificandae et-  
iam ea opera probauit, quam ad Seminarium theologicum, pace reddita,  
instaurandum, contulit, edito libello, quo vel vno elegans suum & sub-  
tile iudicium etiam iis in rebus, quae vulgo intra vulgares aliquas ratio-  
nes contineri solent, satis probasse videri potest. Quum corpus per  
multos annos grauiter affectum haberet, & tali quidem tabe, cuius & ad  
animum magna vis est, vt morosos ac difficiles mores, impatientemque  
irae animum, facile ei morbo condones, mirareris in hoc viro non qui-  
dem festiuum aliquod & iucundum ingenium, quod leuitatem potius aut  
affectationem frigidam & odiosam prodere solet, sed sedatum illum &  
compositum viri constantis habitum, quem, quod doleret, fortiter pre-  
mere diceres. Quum eius febris lentae & tectae ea natura sit, vt vitam  
fere tanto cariorem, quanto inuiliorem & molestiorem, reddat, vicit  
tamen & nouum hoc morbi genus praesenti salubris Christianorum spei  
auxilio, atque ita se ad suum discessum parauit, vt non abstrahi inuitus,  
sed euolare in liberiorem auram videretur. Desiderium itaque sui reli-  
quit tantum, quantum rectae virtutis, amabilis modestiae, beneuolen-  
tiae & humanitatis eximiae, doctrinae autem accuratae & exquisitae cre-  
pto insigni exemplo animis nostris insidere fas est. P. P. a. d. XXX. Maii  
c1o saec. LXIV.

*Scripta HEILMANNI, Viri b. \*)*

*Specimen Observationum quarundam ad illustrationem noui Test. ex  
profanis pertinentium. Halae 1748. 4. quo Ven. BAUMGARTIO nata-  
lem diem gratulatus est.*

*Commentatio de doctis extra patriam viuentibus. ib. 1749. 4. Gra-  
tulatio S. V. GODOFR. SCHWARZIO destinata, cum Professoris Theol.  
munus Rintelii cepisset.*

*Traits de Parallele entre l'Esprit d'irreligion d'aujourd'hui & les an-  
ciens aduersaires de la Religion Chrétienne. ib. 1750. 8.*

*Nath. Parners Glaubwürdigkeit der evangelischen Geschichte,  
des zweiten Theils 2 und 3 Band, aus dem engl. übersetzt. Berlin  
1750. 8.*

*Commentatio de auctoritate librorum noui Test. apud MANICHAEOS.  
ib. 1750. 4. qua S. V. SEMLERO, Theologiae iam in alma Fridriciana  
Prof. ord. philosophicos olim honores gratulabatur.*

*De Euangelio Matthaei apud Barnabam reperto, ib. 1751. Ven. BAUM-  
GARTIO dicatum.*

*\*) cf. Progr. Godofr. Schwarzii ad panegyrim, in qua b. Heilmannus Doctoris  
honores cepisset p. 28.*

JK II n 7464 X 338 1241

VD 18

-om *Dissertatio, Consecrationem Sanctorum apud Pontificis usitatum ad  
 -o *De veteribus veterum Romanorum efficitur ostendens, Prael. S. V. S. I.  
 -i Baumgarten habita. Halae 1754. 4. *De Scholis praeceptorum Christianorum theologicis. Progr. quo Rectoris  
 -b Hameliae munus adit. Rintel. 1754. 4. *De flore litterarum statu & habitu ad initia religionis christianae,  
 -u Progr. scholast. Rintel. 1755. 4. *De Gustata, in prima maxime aetate, & Scholarum spatii confor-  
 -mando, Commentatio philosophico-practica, qua praemissa ad Osnabru-  
 -rgense Gymnasium Director accessit. Osnabr. 1756. 4. *De Jac. Eman. Reques Schule des Christen, aus dem franzöf. über-  
 -setzt und mit einer Vorrede von den wahren Vorzügen eines prakti-  
 -schen Vortrags begleitet. Zelle 1757. *De eo quod est in disciplinis problematicum, inauguratio eiusd.  
 -o Gymnasii Subconrectori Jo. Casp. Neuschäfero, V. C. destinatum.  
 -o Osnabr. 1757. 4. *De pace diuinis quondam honoribus culta Specimen antiquario criti-  
 -cum, exercitationi oratoriae praemissum. Osnabrug. 1757. 4. *Prüfung einer neulich herausgekommenen Uebersetzung des Herodo-  
 -tus, mit einigen Gedanken vom Uebersetzen, eine Einladungsschrift  
 -zu e. Redeübung. Osnabr. 1757. 4. *Kritische Gedanken vom dem Charakter und der Schreibart des Thu-  
 -cydides; eine Einladungsschr. zu e. Redeübung Lemgo 1758. 4. *Worin eine deutsche Uebersetzung dieses Geschichtschreibers angekündi-  
 -get wird. *De eo, quod interest inter diuinas notitias theologi & Christiani. Pro-  
 -gramma quo munus Professoris Theol. ordinarij ordiendum significat &c. 1758. *Oratio aditalis de commodis ex sacrarum litterarum studio ad philo-  
 -sophiam redundantibus. 1758. *Programma Paschale: de antiquo baptismi Paschalis Solemni. 1759. *De sensu quem dicunt morali eiusque in morum doctrina vero pretio  
 -Prolusio, qua praelectiones suas, per aetatem 1759. habendas indicit. *De ratione quam inter se habent humani generis iactura & reparatio  
 -Disputatio theologica prima quae exponit de loco classico Ep. ad  
 -Rom. c. V. 12-18. resp. Conr. Dan. Schumacher 1759. *Thucydides Geschichte des Peloponnesischen Krieges, aus dem  
 -Griechischen übersetzt, und mit kritischen Anmerkungen erläutert.  
 -Lemgo u. Leipzig bey Breitkopf 1760. 8. *Programma Pentecostale, quo Iosephi Halleti contra Diuinitatem  
 -Spiritus S. molimina refutantur. 1760. *Die zwölfte Nachricht von dem Göttingischen Waisenhaus mit ein-  
 -er Vorrede von dem Geheimniß bey mildthätigen Handlungen. Göt-  
 -tingen 1760. *Compendium Theologiae dogmaticae. 1761. 8. *Programma in natalibus Christi de humili Christi infantia 1761. *Der Prediger und seine Zuhörer in ihrem wahren Verhältnis be-  
 -trachtet. Eine Abhandlung womit die theologische Facultät die Er-  
 -neuerung des unter ihrer Aufsicht stehenden homiletischen Seminarii  
 -öffentlich anzeigen 1763. 8. *Programma ad Férias Paschales indicendas: Praemittitur disquisitio  
 -de ratione, qua Iesus sua ex mortuis uocatus. Messias demonstratus est 763. *Die funfzehnte Nachricht von dem unter der theol. Facultät Auf-  
 -sicht stehenden Göttingischen Waisenhaus vom 1. Dec. 1762. bis da-  
 -hin 1763. mit einer Vorrede von einer öffentlichen Erziehung.************************

DEBERE

na



II n  
7964

FA 152  
14



MEMORIAM  
VIRI SVMME REVERENDI  
**IOANNIS DAVIDIS  
HEILMANNI**

S. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS  
PVBLCI ORDINARIJ

QVI D. XXII. FEBRVARIJ VIVERE DESIIT

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR  
RVDOLPHVS AVGVSTINVS  
VOGEL D.

CVM SENATV

CIVIBVS ET POSTERIS COMMENDAT.

GOTTINGAE

EX OFFICINA SCHVLTZIANA, curante F. A. ROSENVSCH

1764.

